...reas Kazmirz
... li Divus Andreas.

DIVVS ANDREAS

Τῦ Ανδρος ὗος.

Fortis Athleta, & Christi famulus,

APOSTOLVS Summus cum Cruce

VISITAT

Clarissimum & Eruditissimum Virum Dnum.

D. ANDREAM KAZMIRZ CEBROWSKI,

Medicum Ciuitatis Louiciensis præstantissimum,

Dominum & Mæcenatem Colendissimum

Cuius aduentum

PAVLVS GOSKI Artium & Philosophiæ Baccalaureus

publico stylo illustrat.

CRACOVIÆ,

In Officina Christophori Schedelij S. R. M. Typogr.

Anno Dñi. M. DC. XXXXI.

IN STEMMA CLARISSIMI VIRI.



MAssagetæ vibrent quamuis, fera tela potenter,
Vt terebret validè, cuſpis vtramq; manum.
Nil ſunt carne graues, traiectâ ſuſpicor ictus
KAZMIR Apollo vetus, namq; ſuperſtes adeſt.
Ambæ quippe manus, veniunt cum ſupplice voto
Spicula ne ſæuæ, mortis obeſſe velint.

Clarissimo & Eruditissimo Viro Dno.

D. ANDREÆ KAZMIRZ

Medico Lowiciensi Excellentissimo, Dño & Patrono suo Colendissimo.

PAVLVS GOSKI Art. & Philos: Bac: S.P.D.

NON antea equidem apud me solemne & vsitatum fuit, vt Tuo Clarissimo Nomini, gratulari prosperos dies vnquam tempus aliquod mihi persuasisset: sed quoniam olim Magnanimos Viros tutiores sub forti Achillis clypeo præstitisse fixum & ratum esse oporteat; proinde & mihi ipsi, idem vsurpandum communi consuetudine & more venit, vt meæ protectionis, nullum vnquam desit perfugium. Ad satis amatam D. Andreæ Crucem iucundè deportandam, vel certè ipse dux & author fieri cuperem, quæ & me propter eadem etiamnum æquo animo toleranda superstat: cum præsertim in editis à me nuper laboris mei opusculis, hinc profectò valdè exigua, illinc nulla prorsus, superuenerit remuneratio. Ea etenim mei animi est causa, vt si mea propria Crux aliquempiam non moueat, D: Andreæ Tui dignissimi Patroni, me adiungendum Cruci præsento, & si quidquam inde mihi insit doloris,

ris, alterutrius plus deriuetur in me gratiæ, maximè cum Tuam summam authoritatem sequi, longam experientiam mirari, stupendam prudentiam comitari & imitari, mihi apprimè iucundum sit. Accipe & excipe Clariss. D. hoc idem munusculum, ea qua omnes eruditos Viros assoles prosequi humanitate, vt Tui non immemor, vnquam longæuum posthæc meminerit sæculum; egoq; ipse præsens interea, patrocinij & promotionis postmodum secuturæ, re ipsa experiar gratiam. Viue, & vale.



Andrea Dominum, pro nobis voce fatiges,
Non vt is optata, pace fatiget humi.



Τοῦ Ἀνδρος ὑός,

LITTVS Erythræo, ſplendet ſuper æquore gemmis
Non ita: nec tantùm Pygmalionis opes.
Attalicis Adamas, radiat neque ſic puto gazis,
Et neque Cræſæis menſa referta ſcyphis,
Crux Andreani quàm ſplendet germen amoris,
Quâ neque ſit melius quid, neque maius humi.
Crux prope ſubſiſtit generoſa mente beatum.
Crux vocat Andream, quò pia fata ſinunt.
Hinc humilem Domini famulum denunciat, almum
Chriſtiſequum, vaſti fata probata ſoli
Quippe canit tellus, Athletam corde potentem
Pro Domino Sanctum, procubuiſſe virum
Partibus è Scythiæ ſub cœlum Martyr Achiuum
Tranſtulit inſignem, morte pauente ſcopum
Horrida Lethæis, tetro Phlegetonte colubris,
Crux inimica Sygi, pernicioſa malis.
Hebræa Regione Crucem, furor Ethnicus horret
Quam nimio coluit, Diuus amore Pater.
Gratus in humano rumor ſat perſonat ore
Et melico ſonitu pſallat abundè Crucem.
Inter Apoſtolicum, verax ſententia cœtum
Crux ſtetit Andreæ, gloria maior humi.

Ανδρεος ritè vocatur ἥος, dat Achaia nomen
Dicitur in Latio FILIVS esse VIRI
Est mirum neq;, Græcorum Regione celebrem,
Hactenus Andream, carne stetisse virum.
Argolicas Graîum, constat vixisse per oras,
Christicolam sæuâ, spem docuisse plagâ.
Quadrifidâ tandem fixus pater arbore, mortem
In superos flauit, carne tremente polos
Viribus inde minor Diui, Crux perstitit illa,
Namq; potis fuerat, mille tulisse Cruces.
Fortior infracto, stat pectore Spiritus illic,
Est vbi diuini plenus, amoris amor
Non tulit ille Crucem, sed Crux tolerauit eundem,
Crux tenuit, retinet nunc Vir & ipse Crucem.
Mutuus ecce patescit Amor, super intima diui,
Atq; sui tradit Nominis, hancce Viris.
Millia dena ruunt, Equitum Cruce scilicet vna
Vnus & Andreas, simplice quippe cadit.
Exhinc creuit Amor, diuini stemmatis, ipso
Gloria Discipuli, feruet vbiq; sacri
Magnanimum felix Andrea, namq; Patronum
Nactus, eum summè gratulor ipse tibi
Vicit vt ille Crucem, portasti mille, per æuum
Difficilis vitæ, carne trahente moras.
Quem Chirone satum, Galeno vel Patre dicam,
Numne Machaon eris, numne Melampus ades!
Namq; Dioscoridi proba, mens vigilanter adhæsit
Antidotis dextram, supposuisse Tuam,

Gembi-

Gembicios, Węzikos, fœlix dextera curans,
Restituit saluas, carne labante manus.
Lipscia cura statam, supremi Præsulis aulam,
Visere te fecit, cum foret ægra caro.
Feruentem tibi, Clementissima præstitit Infans
Ocyus accessum Regia tecta super
Inq; Senatorum, Varsouia mota salute
Sæpe tuam pronâ, voce poposcit opem
Louicij vox, Siradij populusq; Polonus,
Cognouit Genium, non sine laude Tuum.
Te manus ægra Patrum, Bernardiniq; coaptat,
In benefactorem, non minus vrbe suum.
Munificam grex sensit opem, benè quandoq; dextram
Immò frequenter, erat dum malè sana caro
Hinc Apotheca manum, vires medicantis & ægræ
Commemorant grato, Nomine Kazmir adest.
Maius id est certè, curandos Maius vt ægros,
Offerat ad medicam, supplice voce manum;
Mens pia structuræ, pridem gratanter inhæsit
Ducat ad effectum, cognita vota Deus.
Ipse locus debens venanti Nomen, honorat,
Porta quod hunc septis, stringat vtrinq; nouis.
Grata reuoluendis, senij mora sæpe libellis,
Quot reuocasse iuuat, tot meminisse lubet.
Hinc Doctore suus, Doctor fit de Patre natus,
Præcoquit atq; suæ, Pharmaca mista domi,
Præclarus Genitore suo, sat Filius instat,
Exstitit vt tota, vir Regione patens.

Septem

Septem præter Olympiadas te ducat in annos
Quot peragrasse satis, sit superasse satis.
Integer ANDREA, longæuo viuito KAZMIR
Tempore: sit scripto Tempus vt absq; modo

A. M. D. G. V. M. H.